

# **Visual Library Portal**

**Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts**

## **Res Mecklenburgicae**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel  
Olthoff, Justus Ludwig**

**Wittenbergae, 1677**

**VD17 12:134270T**

**urn:nbn:de:s2w-2674**

Q. D. B. V.

RES MECKLEN.  
BURGICAE,

DUCTU

CONRADI SAMUELIS  
SCHURZFLEISCH,

expositæ

à

JUSTO LUDOVICO Olthoff/  
MECKLENBURGICO;

WITTENBERGÆ

Anno Ibc Ibc LXXVII.

---

WITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

RES MECKLEN.  
BURGICAE

CONRADI SAMMELIS  
SCHURNFISCH

IUSTO LUDOVICO  
MECKLENBURGICO

CHRISTIANI SCHRODTERI



I.



Uces Mecklenburgici à regibus orti sunt, qui eâ dignitate usque ad Pribislaum II. floruerunt, & priscis Henetorum insignibus ornati, latè dominari cœperunt, quibus nomen inditum est ab antiqvissima urbe Megapoli, cujus quædam rudera supersunt, cujusque ex ruinis Vismaria apud sinum Codanum crevit. V. *Alb. Cranz. Vandal. lib. 7. cap. 11. Johannes Possel. in oratione de Rostochio. Petrus Lindeberg. Chron. Rostoch. aliq. Civitatis Obotritorum Michlenburg jam ævo suo meminit Adamus Bremenfis l. 4. c. 12.*

2. Idem ille Pribislaus ex gentis suæ more in mansuetudinem Christianam mutatus, totum illum tractum, qui inter Albim & mare Baltici littoris oram jacet, Saxonis ritibus imbuat, & plurima in eo genere perfecit, quæ nomen ejus immortalitati consecrarunt. Quare Helmodus, cui neque fidem, neque auctoritatem derogare possum, ingenuè scripsit. *Omnia Slavorum regio, incipiens ab Egdora (qui est limes regni Danorum) & extenditur inter mare Balticum*

Et Albiam, per longissimos tractus usq; ad Zuerin, olim insidiis horrida, Et penè deserta, nunc dante Deo tota redacta est velut in unam Saxonum coloniam, & quæ ibi sequuntur, l. 2. chronic. Slavov. cap. 14. De Zuerina V. Detmarus chron. l. 8.

3. Sub hoc tempus instaurari cœptum est Mecklenburgum, à quo postea Obotritorum Principes nomen tulerunt, & solenniori auspicio inde appellati, multa & magna opera perfecterunt. Nam etsi jam ante Pribislaum ibi sedes potentia atque aula Principum nostræ gentis fuit, tamen Niclotus Obotritorum rex, idemque Pribislai, à quo auspiciatus sum, Pater gravitate inductus, castrum illud igni subjecto cremavit, veritus, ne ab Henrico Guelpho expugnaretur. Helmold. l. c. 87. & II. c. 14.

4. Itaque hoc loco aliena est *Megalopolis*, quæ commemoratur in *notitia Episcoporum provincie Procos.* de cujus situ egregii summiq; viri dubitant, & mendum notant atque suspicantur eruditi, quando *Megalopolis* in fines regiminis Africae proconsularis descripta narratur. Fuitque hæc causa nuper, cur *Henricus Noris* Johannem Garnerium castigaverit, quòd Africae *Megalopolin* attribuisset. In notis ad inscriptiones epistolarum Synodaliùm Cl. Viro Antonio Magliabecchio, Sereniss. Magni Ducis Florentiae bibliothecæ

*thece prefecto, & obvariam exquisitamq; doctrinam magnopere culto nobis estimatog; dicatis, pag. 26. Neque hic referri attinet Megalopolin Peloponnesi, quam Pausanias cum Babylonis fato comparavit, in Arcad. neq; Megapolin Illyrioru Urbem, cujus meminit Polybius IV. 25. Nostra, de qua hic loquimur, Megapolis etiam Magnopolis appellata est, quod seculo Græcarum literarum rudi est condonandum, apud Helmoldum lib. 1. chron. cap. 87. Conf. Cranzius Vandal. lib. 6. cap. 36.*

5. Cujus urbis memoria eo illustrior esse debet, quod sumtus ab ea titulus semper est retentus, & Principibus in republica Germanica eminentem locum consecutis tantum decus ornamentumq; attulit, ut quoq; Ducum, quorum altissimus in imperio gradus est, titulo ornarentur. Graviter Cranzius scripsit, cum propter Vismariam Mecklenburgum oppidum, tum propter Mecklenburgum nomen titulumque Obortitorum sublatum extinctumque esse. *Vandal. lib. 7. cap. 11. Dominicus Marius Niger refert, Vismariam prius, quam eo nomine insigniretur, appellatam fuisse Marionis oppidum, Geograph. Comment. V. p. 75.*

6. At prudenter & consulto Venedorum principatus titulo Serenissimorum Ducum nostrorum additus fuit, cum ut veteris gentis me-

memoria servaretur, tùm ut indicaretur, *Obotritorum* terram antiquo jure in eorum potestate ditioneque esse. Quanquam *Cranzius* *Vandalorum* & *Venedorum* nomen confundit, quùm tradit, *Duces* *Mecklenburgicos* defuisse appellari *Vandalos*, qui revera defierunt *Venedorum* nomine appellari. Proinde nullo idoneo auctore scripsit *Johannes Palatius*, *Sorabos*, qui superiorem *Albis oram*, & *Obotritos*, qui patriam meam incoluerunt, partem nationis *Vandalorum* fuisse, in *Aquil. Saxon. notat. marginal. p. 4. & alibi.* Neque tamen negaverim, illos *Venedos*, qui *Wagri* dicuntur, nomini necessitudiniquè *Saxonum* post insertos fuisse, adeò ut ductis illuc ex terris *Saxonum* coloniis, *Wagria* cœperit dici nova *Saxonia*, & *Holsatiæ*, quæ alio nomine *Saxonia transalbina* audit, conjuncta fuerit, etsi ab ea ante & imperio, & lingua discernebatur. De qua *Saxonum*, *Fresonum*que & *Hollandorum* migratione in *Wagriam* facta vid. *Helmoldus l. 1. chron. cap. 57. ex eoq; Johannes Isacius hist. rer. Dan. lib 5. p. 229.*

7. Familia nostrorum Principum non modò multis variisq; laudibus cumulata fuit, sed etiam nobilissimæ antiquitatis mensuram implevit. Quare *Nicolaus Marescalcus Thurius*, quo nemo diligentius res patrias pervestigavit, ex  
vetu-

vetustissima Anthyrii stirpe originem arcessit, cui assentiuntur *Sebastianus Munsterus*, *Hieronymus Henninges*, *Elias Reufnerus*, *Johannes Posselius*, *Johannes Bocerus*, aliique viri doctrinâ & multâ lectione præstantes. Quorum sententiam neque refellere, neque confirmare in animo est. Quamvis haud desint mihi argumenta, quibus probem, ultimos laudatissimorum Principum horum majores non ex Asia, ubi nunquam Obotriti militarunt, sed ex Europæ illa parte, quæ Sarmatia dicitur, jam diu ante Karolingorum tempora profectos, lumen quoddam virtutis familiæque suæ in his oris accendisse, posterisque suis prætulisse. Tum verò non convenit ætati Alexandri M. ut dicamus, tunc fuisse hæreditarios Henetorum Principes, & insignia sua ab eo accepisse. Namque arma gentilitia *Bucephali* imagine distincta idèò more majorum sumpta sunt, ut denotarent præscam gentis nostræ ferociam, ac simul indicarent insignia illa non fortunæ, sed fortitudini esse tribuenda. In qua re valde sibi placuerunt veteres, & à brutis insignioribus virtutum pariter atque insignium symbola acceperunt. V. *Barthol. Chassanus Catal. glor. mund. 78. consid.* Ipse etiam Alexander M. qui primò Bucephalum domuit, ejus imaginem in plerisque numis extare voluit,   
cujus-

enjusmodi sunt, qui præferunt effigiem tauri-  
ni capitis, quique literas *ΒΟΤΚΕΘ*. expressas ha-  
bent. Testis est *Strabo*, ejus memoria urbem  
Bucephaliam dicasse, *Geograph. l. XV.* Adsti-  
pulantur *Plinius l. VI. H. N. C. XX.* *Curtius*  
*IX. 3. 23.* *Solinus cap. XLVII.* *Stephanus de*  
*Urbibus in hoc vocabulo: Aristophanis Scholia-*  
*stes in veφελ. p. 123. edit. Biseti.* Nec tamen pro-  
pterea detraham de summa eruditione meritis-  
que *Godeschalci*, quippe excusandi, quum illa  
ultima & fabulis involuta tempora respexit: in  
cæteris ubi tabulas & monumenta usurpavit,  
magnopere est laudandus.

8. Sed ut humana omnia, ita quoque *Obo-*  
*tritorum* iste principatus varias mutationes  
habuit, & in quod culmen evectus est, in eo non  
semper eadem felicitate stetit. Ad Danos dela-  
tus est à *Canuto* ejus gentis principe, qui postea-  
quam *Henrici I.* propago defecerat, regnum  
*Obo-tritorum*, quod illius propinquis *Pribislao*  
& *Nicloto* debebatur, à *Lothario II* imperato-  
re Anno M. CXXXIII. traditum suscepit. Eo à  
*Magno* patruele interempto, *Waldemar* *Ca-*  
*nuti* filius cum *Henrico Leone* *Guelfo* *Pribisla-*  
*um*, *Nicloti II.* filium multis bellis fatigavit, ad-  
eò ut magna regionis parte multaretur. Ita-  
que rebus planè inclinatis, in pacem consensit, &  
se su-

se suosque ex superioribus molestiis recreavit.  
Fuitque hic ultimus Obotritæ gentis regum,  
Princeps magni sanè animi, summisque pericu-  
lis defunctus, cui à divino numine tributum est,  
ut animum à profana superstitione pertinaciaque  
ad cultum religionemq; Christianam revocaret,  
& Principatum à duobus hostibus vastatum &  
direptum templis ædificiisque ornaret. Qua  
in re Godeschalcum proavum est imitatus, quip-  
pe qui religionis causam omni felicitate potio-  
rem duxit, & auctoritate meritisque patriam  
cum primis firmavit. *V. Helmoldus l. 1. cap. 49.  
seqq. Abbas Stadenf. au. 1133.*

9. Quo factum est, ut Principes nostri  
comiter haberent Duces Saxonie, & quæ illis è  
re visa essent, minimè tunc aspernarentur. Cu-  
jus rei exemplum satis luculentum in Pribislaò  
reperiamus, qui & propositas ab Henrico Duce  
conditiones accepit, & quæ ille probasset, sibi  
non displicere est testatus, *apud Helmoldum l. 1. c.  
83.* Tum verò tradit *Franciscus Irenicus*, Prin-  
cipes nostros, cum per iniquam belli fortunam  
de loco regio dimoti fuissent, *partim sub ducatu  
Saxonie, partim sub Pomerania comprehensos  
fuisse, German. exeges. l. III. cap. XCIIIX.* Neque  
me fugit, non modò Mecklenburgicos, sed eti-  
am Pomeranos Venedosque prope omnes Ca-

nuto V. Daniæ regi aliquando paruisse. *Jo. Is. Pontan. hist. Dan. l. 6. p. 291. Jo Posselius* etiam affirmat, Nicolotum Valdemari filium Rostochium Erico IX. regi Daniæ permisisse, quod post certis conditionibus ab Henrico Leone est receptum, *Orat. de Rostoch. p. 19.*

10. Cujus mutatae dignitatis causæ & diligenter, & graviter à Carolo IV. sunt expensæ, quando Albertum & Johannem, Henrici Leonis filios, in Ducum fastigium evexit, & palam comprobavit, hoc regiae stirpi se tribuisse, quod ad Bucephalicaput, quo insignia eorum constant, Coronam adjunxisset. *Munsterus Cosmogr. l. 3. c. 459. ex eoq; Limneus l. P. l. 5. c. 12. Conf. Johannes Bocerus in historia ducum Mecklenburg. versibus exarata. Inaugurationis solennia peracta sunt Pragæ anno supra millesimum trecentiesimum quadragesimo nono. V. Johannes Dabravius hist. Bojem. l. 22. Jo. Is. Pontan. hist. Dan. lib. 7. ad h. an.*

11. Captabat quidem dissidii causam pro more suo Carolus IV. propterea quod nil perinde cuperet & vellet, quam ut Albertum & Johannem contra Ludovicum Bavarum socios adjuutoresq; haberet. Idcirco hanc ejus everterendirationem iniit, atque adeo Principes, quorum ope auxilioq; contra vicinum potentemq; æmulum

mulum indigebat, tam luculento beneficio sibi conciliavit, non passurus, ut is Marchiâ Brandenburgicâ, cujus hæredes Ascanii defecerant, in proximo potiretur. Eo consilio fallaciam invenit, & rumorem dissipavit, tanquam Waldemarum nondum esset mortuus, & hominem quendam instruxit atq; subornavit, qui diceret, se esse Marchionem Waldemarum, ut Ludovicum marchionem summo veret, *Albertus Argentinensis Chron. p. 146. Jo. Dubravius hist. Bojem. l. 22. Jo. Micralius Chron. Pomeran. lib. 3. p. 333. qui istius Pseudovaldemari, quem mole operam dedisse constat, nomen refert, ac monet, eum juvenili ætate armigeri munia in aula veri Marchionis Waldemari obiisse, atque adeò negotiorum ipsius baudignarum fuisse.*

12. Nunc instituto meo convenit, ut divorum Principum memoriæ tribuam, quas & quo jure provincias acquisiverint, quibusq; modis vetus patrimonium redintegraverint. Sanè enim fortuna quoque multa ipsorum meritis rependit, & hæreditatibus connubiisq; auxit firmavitq;ve. Quanquam de *Stargardia* dynastia incertum reliquerunt historici, quo titulo in ejus possessionem venerint, quoque tempore hæreditario Dynastarum *Stargardia* nomine appellari cœperint. Ego certum habeo, *Stargar-*

diam illam veterem, quæ adjectione à Stargar-  
dia Pomeraniæ ulterioris urbe distinguitur, ab  
Obotritis esse ædificatam. Inde ad Marchio-  
nes Brandenburgicos Ascaniæ gentis pervenit :  
postea ad Henricum Leonem Mecklenburgi-  
cum delata est, quando is tractum illum dotis  
nomine acquisivit, & hæreditarium jus atque ti-  
tulum Dynastiæ Stargardensis ad filios succel-  
soresque suos devolvit. Cujus filius Johannes  
Stargardiam omni elegantia aulæque excoluit.  
Inspexi tabulas, in quibus Henricus Leo *domi-  
nus Stargardie* appellatur. Exemplum est di-  
plomatis apud *Johannem Isacium Pontanum*, ubi  
Ericus VI. Daniæ rex *dominium Rostochiense* ei-  
dem possidendum tradidit, in quo *dominus Hen-  
ricus Megapolensis ac Stargardie* nominatur, *hist.  
Dan. l. 7. an. M CCC XVII.* Eum *Johannes Mi-  
crælius Chron. Pomeran. l. 3. p. 323.* Waldemari  
Marchionis & Septemviri Brandenburgici ge-  
nerum scribit. Unde factum memorat, ut Hen-  
ricus jure hujus connubii, extincto ultimo Mar-  
chione Brandenburgo - Ascaniæ stirpis, Prenz-  
laviam, Pasewalcum & Marchiam Uckeranam  
tanquam ditionis Brandenburgicæ prætende-  
ret, *ibidem.* Quem tamen Reusnerus Hennin-  
gelum secutus, aliique haud infimi auctores  
Alberti Marchionis Brandenburgici filiam du-  
xisse

xisse tradunt. *Basil. p. 462.* Reusneri sententiam & adduxit & probavit *Johannes Limneus jur. publ. lib. 5. cap. 12.* Hisque ut accedamus, facit *Cranzii* rerum Mecklenburgicarum peritissimi auctoritas. Qui refert, Henricum Leonem, ductâ Alberti Marchionis Brandenburgici filia Beatrice, partim jure belli, partim jure emptionis traditum *Stargardensem*, qui antea in ditione Marchionum fuerat, obtinuisse, & à Christophoro I. Erici VI. de quo ante traditum est, fratre, & in regno Daniæ post occisum Abielem successore in solidum cessam perpetuo ad posteros jure consecutum fuisse, *Vandal. lib. 8. cap. 3. & 4.* Constat enim indubitatis sanè monumentis, Henricum tres uxores habuisse, primam Alberti, alteram Rudolphi Saxonis Ascanii filiam, tertiam Rugiæ Principis viduam. *Cranzius ibidem.* Quare dubiæ & dissidentes quorundam sententiæ nunc nullo negotio intelligi judicariq; possunt.

13. Verùm prosapia Johannis Ducis, Henrici Leonis F. cui *Stargardia* obvenit, floruit usque ad *Ulricum*, qui anno *MCCCC LXXI.* rebus humanis exemptus, propaginem suam terminavit. Quo casu accidit, ut Magnus, qui ex Alberto I. descendebat, *Stargardiam* faustis patriæ auspiciis cum ducatu *Megapolensi* conjun-

geret, & splendore nominis potentiaq; valde se illustraret. *David Chytr. Sax. lib. 1. p. 42. Superiora attigerunt Petrus Lindebergius Chron. Rostoch. l. 2. cap. 10. Melch. Nebel. in descript. Germanica regionis Mecklenburg. Abrahamus Sauer, Johannes Micraelius, aliiq.*

14. Ita cum neque fructu laborum, neque justis accessionibus carerent nostri Principes, haud exiguo terrarum spatio aucti, in pace felicitateq; sua conqviaverunt. Quanquam autem neq; aliena affectarunt, nec, quantum in ipsis fuit, regiones suas incertis dubiisq; bellis objecerunt, tamen ex fortunæ incrementis haud parvam subinde voluptatem ceperunt. Eum ad modum sortiti sunt *Comitatum Soverinensem*, quem Henricus Leo Guelphus in Guncelinum, ex Bartenslebiis, quorum generis summus semper fuit splendor, contulit. Hujus posteris virilis sexus in Ottone, cui Rolæ cognomen erat, defecerunt. Sed unica ejus filia, atq; Comitatus hæres Richardis Alberto II. hujus nominis Megapolitano Duci nupsit, & maritum tam luculentâ possessione, quæ etiamnum in ditioe nostri Principis est, auxit ornavitq;ve. *V. David Chytraeus Saxon. lib. 13. p. 327. Meibomius in chron. Hermannii de Lerbek p. 60. Chronicon Brunsvicensè p. 143. Cyriacus Spangenberg. in spec. Nobilitat. fol. 298. Alio-*  
*qui*

qui *Gunzelini memoria celebratur pasfim in monu-  
mentis Helmoldi atq; Arnoldi Lubecensis.*

15. *Vismaria*, quam *Guncelinus II.* Comes  
instauravit, anno M CCCL, pervenit ad *Henri-  
cum Ducem Megapolitanum*, qui ob navatam  
bello sacro operam *Hierosolymitanus* dici cœ-  
pit: à quo tempore fuit juris *Mecklenburgici*, &  
rebus bello tricennali turbatis erepta quidem  
*Ducibus nostris*, sed anno M DC XXXII. ab *A-  
dolpho Friderico* fœdere & viribus *Gustavi A-  
dolfi regis* recuperata. Demùm cum pacis cau-  
sa pactum *Osnabrugæ* fieret, *Suedis fœderatæ*  
militiæ satisfactionem poscentibus, præter *Prin-  
cipum nostrarum* culpam A. M DC XLIIIX. ces-  
sa est, mansitq; in horum potestate usqve ad A.  
M DC LXXV. quo *Dani* occupatam etiamnum  
sub imperii clientela possident, ad priores domi-  
nos redituram, siquidem jus postliminii valitu-  
rum esset, ferretqve ita ratio satisfactionis belli  
socialis. *V. post Cranzium Dav. Chytraus Saxon.*  
*p. 252. conf. Johannes Regkmann in chron. Lube-  
cens. Job. Angel. à Verdenbagen part. 3. cap. 22.*  
*de rebus publ. Hans. Job. Lindeberg. Chr. Rostoch.*  
*l. 3. qui pleraque jucunda & pragmatica ejus urbis*  
*tractarunt.* Eam *Henricus*, de quo jam com-  
memoravi, armis in potestatem suam redegit, &  
jure *Lubecensi* multisqve & magnis privilegiis  
dona-

donavit, qui & ibidem è vita decessit. *Chytr. cit. l. Reufner. βασιλ. p. 461.* Portum habet commodissimum, & navigationi maris Baltici opportunissimum, in quem jam veteri privilegio Ottoniano Suerinensibus civibus navigandi liberè ac sine onere jus est. *Spreng. jurisprud. publ. l. 3. cap. 21.* Insula Paluda, vulgò Poel nominata, rudera quædam antiquitatis præcorum Slaviæ regulatorum ostendit.

16. *Principatus Venedorum*, A. M CCCC XXXI, mortuo Wilhelmo, ultimo Wendia Principe, propter communem stirpem ad Mecklenburgi & Stargardia Duces transit, atque nomen hoc à præcis tributum seculis constanter servavit. *Cranzius Vandal. l. 11. cap. 39. Chytr. Sax. pag. 42.* Estque hic rectè & instituto nostro convenienter explicandum, quod adducto loco scripsit Cranzius, duces Megapolitanos & Stargardia principatum Venedorum obtinuisse, *non tam successione hæreditariâ, quàm placito inter se Principum, accedente procul dubio imperiali confirmatione.* Ea enim verba valent ad indicandam successionem feudalem, juxta quam propter agnationem primi acquirentis jure, non merè patri-*moniali*, sed beneficiario succedebant, atque ad eò saltem ob jus ex pacto & providentia majorum constitutum, atque ab ultimo stipite ad se-  
deri-

derivatum, erant hæredes feudales. Quò pacto ipse se declaravit *Vandal. l. 7. cap. 10.* quum scripsit, *morientes Vandalia* (Wendia rectius) *Principes proximâ successione transmisisse illum titulum ad duces Megapolenses.* Quibus non *allo-dialem*, sed *feudalem* principatum stylo juridico liceat denotare. Constatque alias, hunc & ceteros principatus ducatusque esse virilis generis, hoc est, ut loquuntur in juris peritorum scholis, *feuda masculina*, atque adeò ad feminas non deferri. *V. Cranzius Vand. l. XI. cap. ult.* Ceterum Venedorum Principatus oppida continet, *Gustrovium, Parchim, Plavve, Malchim:* ut verum sit Wendiam, quæ magnam quondam Europæ partem implevit, in tam exiguos fines redactam. *V. Cranzius Vandal. lib. 7. c. 10.* *Dömizium*, quod nunc eidem principatui annumeratur, à Marchionibus Brandenburgicis A. M. CCC. XXIX. pignori oppositum fuit Comitibus Swerinensibus, atque his in univèrsum extinctis, cum cetera eorum hæreditate Ducum nostrorum patrimonio accrevit, & firmo perpetuoque jure in eâ familia permansit, situ, operibus, validum, vectigalique Albis præditum, à quo nervi quasi artusque potentia Serenissimi Ducis Swerinensis Christiani ducuntur. Interim vid. *Andreas Angelus Chron. Marchic. l. 2. p. 136.*

17. *Rostochium*, quæ illustris ad Varnum  
civitas est, anno MCLX. à fundamentis ædifica-  
vit Pribislaus II. Nichori filius, immunitatibus  
beneficiisque auxit Burewinus, forumque ejus  
ex præscripto juris Lubecensis ordinavit, & post-  
ea amplificavit magis atque excoluit Burewinus  
II. cujus urbis luculentum eruditumque *chroni-  
con* composuit *Petrus Lindebergius*, spectatq; buc  
*oratio Johannis Posselii de inclita urbe Rostochio*,  
*anno cl. Ic. XIC. Francofurti ad Mœnum edita.*  
Tractus Rostochiensis, perinde ut tota Oborri-  
torum regio, quæ est hodierna Megapolis; ali-  
quandiu Danis fuit obnoxius, atque à Principa-  
tu Megapolensi separatas rationes habuit, quoad  
vixit Nicolaus, qui puer de Rostochio appella-  
tus est: quo mortuo, Rostochiensis districtus  
principatui Megapolitano insertus perpetuoque  
junctus fuit *Cranzius Vandal. l. 6. c. 24. & l. 7. c.*  
*36.* Illic Academiæ sedem collocarunt Johannes  
& Albertus, duorum fratrum filii, auspiciis anno  
MCCCCXIX. factis. Privilegia pro illorum tem-  
porum opinione Martinus V. Pontifex est imperti-  
tus. In ea insignes Viri semper floruerunt, ac histo-  
riam bonasq; literas præcipue illustrarunt *Alber-  
tus Cranzius*, postea *Hamburgensis Ecclesiæ Decanus*,  
*Nicolaus Marscalcus Thurius*, deinde *Consiliarius Me-  
cklenburgicus*, cujus *annales Vandalicos jam supra* &  
*meri*

merito laudavi, Johannes Vocerus ob scriptam ver-  
sibus historiam regum Danie, Ducum nostrae gentis  
& Holsatiae jure memorandus, Johannes Passelius  
Graecis Latinisq; literis famam adeptus, & de Ro-  
stockio, habita singulari oratione, bene meritus, Jo-  
hannes Caselius, vir in omni eruditionis genere  
summus, qui postquam hic magna cum laude docu-  
it, ad ornandam Academiam Juliam post est accitus,  
David & Nathan Chytrai, quorum & dotes maxi-  
mae, & merita immortalia nullâ oratione satis cele-  
brari possunt. Cranzius ob motus saepe in eâ ur-  
be excitatos, hanc talem fortunam ab infau-  
sto sidere deduxit, *Vand. l. 7. cap. 49.* In quo ab eo  
dissentit *VVaremundus de Erenberg*, id est, Eber-  
hardus à Weihe, vir jurisprudentissimus, qui per-  
peram ita existimasse Cranzium tradit, *de fœd. l. 1.*  
*cap. 1.* Nec diffiteri possum, Cranzium inter-  
dum alieniorem ab iis fuisse, quorum beneficia  
prædicare debuisset. Vixit is aliquandiu in Col-  
legio Canonorum Naumburgensium, & diaco-  
ni partes obiit, sed erga illos haud gratum sem-  
per se ostendit, è quorum regione egressus fuit.  
Causæ dissidii inter Duces & urbem coepta, quod  
in quinque annorum bellum erupit, *vid. ap. Cranzi-  
um Vandal. l. 14. c. 1. seqq.* Dissensiones inter fra-  
tres Johannem Albertum & Ulricum, atque ur-  
bem exortas persequitur *Dav. Chytrai in brevi*

*Chronico Arctoe partis Germania An. 1587. excuso*  
*p. 92. seqq. collat. Saxon. lib. 22. pag. 619. seqq. Jacob*  
*Aug. Thuanus hist. lib. 38. pag. 716. seq. De Contro-*  
*versia inter Serenissimos Duces Christianum, &*  
*Gustavum Adolphum V. Thaldenus hist. Europ. en-*  
*nead 2. lib. 1. pag. 18. Sed ea cum ad motum spe-*  
*staret, interventu Ordinum paulo post tranquil-*  
*litati publicæ remissa est. Quamquam autem*  
*prædicta civitas societate Hansica continetur, ta-*  
*men est sub imperio civili nostrorum Principum,*  
*& privilegia sibi tradita amplissima fide obsequiis*  
*retinet ac tuetur. Gedano & Sundio antiquior*  
*est: propterea quod illud auspiciis Waldemari I.*  
*anno M C L X IV. prima initia habuit, atque ea*  
*de causa Danfovic appellatum, urbis nomen &*  
*formam aliquanto post accepit: hoc regnante*  
*Waldemaro II. anno M C C X, & conditum à Da-*  
*nis, & Colonis Saxoniceis cultum fuit. Vismaria*  
*ferius ædificata est, qua tamen omnes maritimas*  
*ejus limitis urbes opportunitate portus vincit,*  
*cum primis Rostochium, quod ex ea re vehe-*  
*menter laborat, atque adeo ad Varni exitum, u-*  
*bi munitio, sive pharus V Varnemunda est, mer-*  
*ces exponit in urbem devehendas. V. antiqui-*  
*tatis causa Cranzius Vandal. l. 7. cap. 5. cap. 11. Jo.*  
*ls. Pontanus hist. Dan. l. 6. p. 302. Jo. Possel. de Ro-*  
*stoch. pag. 13. conf. Lindeberg. l. 1. c. 8. Johannes*  
*Magnus*

Magnus hist. Goth. lib. 18. cap. 19. in quo inest mendum chronologicum. Cyprianus Eichovius refert, an. post C. N. CCC. XXIX. jam tunc ibi fuisse paganos levibus initijs conditum, quod fabulis est adnumerandum, delic. German. pag. 138. Eas verò omnes vetustate præstat Lubeca, de qua vid. post Helmodum Abbas Stadenfis an. 1139. Granzius Vandal. l. 6. c. 30. seq. l. 7. c. 14.

18. Præterea huic scripto mandandum duxi, quæ bonorum Ecclesiasticorum accessiones nuper ad Ducatum nostrum factæ fuerint. Ex his primo loco memorandus est *Episcopatus Suerinensis*, qui regnante Henrico IV. \* in urbe Megapoli constitutus, & postquam à Slavis, ad superiorem superstitionem relapsis, deletus est: imperante Friderico Enobarbo ab Henrico Leone Guelto \*\* instauratus, atque in oppidum Suerin translatus fuit. Extant hujus *literæ foundationis*, in quibus testatus est, se pro remedio anime & parentum suorum ad propagandam Christianam religionem, in terra Slavorum transalбина, in loco horroris & vaste solitudinis, tres *Episcopatus* \*\*\* construxisse, allodiis, redditibus mensæ

C 3

\* A. M. LXXII.      \*\* A. M. C. LXX.      \*\*\* Aldenburgensem, qui Lubecam translatus, hoc nomine titulos, solus superest apud Protestantes nondum secularisatus, Mecklenburgensem, qui Suerinensis dictus est, & Ratzeburgensem, qui hoc nomen servavit.

sue dotavisse, insuper ea, quam gladius & arcu suo  
quesiverit, hereditate ampliasset. Inde Episco-  
patum Sverinensem nominat, & in curando re-  
stituendoque eo magnum laborem operamque  
se posuisse affirmat. *V. Adamus Bremensis lib.*  
*3. H. E. c. 23. Cranzius Metropol. l. 6. cap. 25. 39.*  
*& l. 7. c. 20. Chytr. Saxon. lib. 1. pag. 43. Chron.*  
*Riddagsbusan. pag. 5.* Atque hic Episcopatus,  
perinde ut Razeburgensis, obnoxius fuit juri  
metropolitano Ecclesie Bremensis; sed dignita-  
tem Principis Ecclesiastici jure seculi mutavit,  
sessionemque simul & suffragium inter Principes  
profanos, sive seculares est adeptus. *Instrum.*  
*Pac. Osnabrug. art. 12.* Quod summæ rationis  
& æquitatis fuit, ut propter abalienatam civita-  
temporumque; *Vismariensem* & conveniens satis-  
factio offeretur, & præstaretur. Nam neque  
culpa in Ducibus nostris resedit, neque ullo fa-  
cto tale quid commeriti erant, ut tam luculentâ  
patrimonii sui parte, quâ in tota Germania nec a-  
ptior, nec utilior est ad rem maritimam, priva-  
rentur. Quia autem evidens erat necessitas fi-  
niendi belli, quod sine eâ cessione finiri non po-  
tuit, Serenissimi Duces de jure suo decedere, &  
reipublicæ causa in compensatione acquiescere  
necesse habuerunt. Alioqui sua potius retine-  
re cupiebant, atque ad eò per legatos contra ob-  
testa-

restabantur, causamq; suam omnibus modis defendebant. Sed quoniam Germaniæ tunc res ob bellum afflictissima, & consiliorum voluntatumq; dissidentium impeditissima rationes erant, passi sunt tandem fieri, quod mutare non potuerunt. Cum primis quod viderent, nullas ibi neque preces, neque obtestationes, nec questus Brandenburgicorum valuisse, quippe qui in eiusmodi pacis instaurandæ conditiones nullo modo consentire volebant, & tamen necessitate temporum ipsi quoque tandem vincebantur, quum nil opis auxiliiq; in amicis & sociis, nil præsidii in postulatis & rationibus haberent, atque sic publicæ utilitati remitterent, quod turbidus temporum status ita ferebat, ut imperatoris atque imperii voluntati concederent, & quod jure cetero qui retinere debuissent, ab alienari paterentur. Fuitque hoc grave *Dominii Eminentis* in republica nostra exemplum, ex actis illorum sanè difficiliorum temporum erutum. *V. Theatrum Europæum T. V. & VI. passim.* Verum ratione dicti Episcopatus in patrimonium Serenissimi nostri Ducis addicti perpetuus Academia Rostochiensis *Cancellarius* idem ille audit. *Episcopatus Raceburgensis* sub Henrici IV. Salici imperio coeptus est ab Alberto Archiepiscopo Bremensi, sed posteaquam Venedi, officium &

um & sacra deserentes, iterum insurrexerant, e-  
versus est, donec ab Henrico Leone Guelpho  
fauultis iniitiis instauratus, atque egregiis rediti-  
bus ornatus atque locupletatus fuit. Quibus  
rebus evenit, ut Henricus Dux jus inaugurandi  
hunc & ceteros Slaviae Episcopos, etiam permis-  
su imperatoris, consequeretur. Cujus rei ido-  
neum auctorem habeo *Helmoldum*, ex quo *Cran-  
zius summa capita desumpsit Metropol. l. 6. cap. 28.  
Conf. Chytraeus Sax. l. 2. pag. 63.* Fuitque Race-  
burgi & Rostochii fortuna haud multum dissimi-  
lis, quando utrumque ex vicinis ruinis, illud ex  
Bardewici à Leone Guelpho diruti, hoc ex Kiffi-  
ni ab eodem destructi & solo æqvati crevit, tan-  
taque incrementa cepit, ut multi homines eò  
confluerent, atque ibi permanerent, Rostochi-  
um verò in primis mercaturæ commerciis cele-  
braretur, quod luculenter executus est *Lindeber-  
gius*. De Comitatu Raceburgensi vid. *Cranzius  
Vandal. l. 6. cap. 31. Et jam ante eum Arnoldus Lu-  
becensis lib. 4. cap. 7.* Unde dicti sunt Comites  
Raceburgenses, quorum familiam condidit *Hen-  
ricus de Badervide*, ut eum nominat *Helmoldus*,  
etli *Hermannus de Lerbeke* scripsit *Henricum de  
Bardewick; Chron. Comitum Schawvenburg. p.  
12.* Qui Comitatus extincto Bernhardo III. Co-  
mitum Raceburgensium ultimo, ad duces Saxo-  
niae

niæ, à quibus jure beneficiario pendeat, reddit,  
quod est ipsum *directum utileq; dominium terra  
Polaborum. V. Cranzius d. l.* Ceterum *Episco-  
patus Raceburgensis* anno M DC XLIIIX. ad jus  
seculi redactus, atque in confecto cessionis com-  
pensationisq; negotio Ducibus Sverinensibus  
perpetuo jure attributus, nunc haud aliter, quam  
alius secularis Principatus cū annexa sessionis &  
suffragii dignitate possidetur atq; administratur.  
*Inst. Pac. Osabr. art. 12.* Eam ob causam anno M  
DCLII. præfules Ecclesiastici Raceburgenses Du-  
ci Adolpho Friderico, atq; eo defuncto, Serenissi-  
mo Duci Christiano sacramentum dixerunt, atq;  
ditionis imperiiq; ejus fructum ceperunt.

19. Constitutis ita rebus, *ambo Episcopatus*  
in principatum seculi mutati, in familia sexus vi-  
rilis tantum hærebunt, & perinde ut ducatus  
Mecklenburgicus, solâ successione marium ad  
omnes usque posteros Ducum antiquissimæ hu-  
jus stirpis perpetuâ serie continuabuntur. *Inst.  
Pac. d. l.* Unde sequitur, *Sverinensem* ornare tue-  
riq; summum Ducis in republica Germanica lo-  
cum, in quantum tria suffragia principalia habet, &  
primum quidem, quâ Dux Sverinensis, alterum  
quâ Episcopus Sverinensis, tertium quâ Episco-  
pus Raceburgensis. Dux Güstroviensis unum  
duntaxat suffragium inter Principes dicit. *V. instr.  
Pac. d. l. & subscriptiones R. I. 1654.*

20. Ad hanc compensationis æquitatem spectabat, quòd Duci Gustavoviensi, Gustavo Adolpho, propterea quòd Episcopatus Racheburgensis designatus administrator fuerat, duo beneficia Ecclesiastica, sive *Canonicatus*, si tales Magdeburgi & Halberstadii vacare contingeret, impertiendi promittebantur. Præterea familiaris Megapolitanae pro certa portione redditus ex præsentis duobus Ecclesiæ Argentoratensis *Canonicatibus* obventuri addicebantur. Et ne quid valori satisfactionis deesset, duæ præfecturæ sacræ, id est, *commende* Hierosolymitani Ordinis Equitum D. Johannis, eaq; in ducatu Megapolitano sitæ, assignabantur, ita ut altera earum *Mironu* Syverinensi, altera *Nemerovu* Gustavoviensi in perpetuum attributa esset maneretq;ve. *V. Instr. Pac. sæpius adductum.*

21. In has dignitates evecti, nemini Principum vel vim, vel molestiam ullam attulerunt, nisi quòd ob vectigal *Vvarnemundanum* justas querelas in Comitibus exposuerunt. Cum enim Svedi vectigalis apud *Vvarnemundam* exigendi jus potestatemve pacto Osnabrugensi tributam esse sibi dicerent, atq;ve in eam rem verba *instr. pac. S. præterea* adducerent, non modò imperator atq; imperii Principes contradixerunt, sed etiam Serenissimi Duces nostri hanc pro jure suo atq;ve salute suæ ditionis commerciorum susce-  
ptam

ptam causam omni studio sunt persecuti. Argumenta, quibus negabant talem servitutem vectigalis ab se deberi, multa & solida fuerunt. Et enim jus imponendi vectigalis I. ex intentione paciscentium imperatoris & imperii est intelligendum. II. Atqui hæc intentio qualis fuerit, quamque in sententiam valuerit, mox apparuit, quum Suedi vectigalis apud Warnemundam exigendi initium fecissent. Simul ac enim id coeptum est, publicis contradictionibus & protestationibus imperatoris & imperii Principum postulata ipsorum sunt rejecta. III. Warnemunda, salvâ territorii potestate ducum nostrorum, continetur finibus jurisdictionis Rostochiensis, ad quam jurisdictio Svedorum nullo prætextu juris proferri poterat. IIII. Itaque longius ab intentione paciscentium dilcescerunt, quum privilegium alioqui odiosum, & duntaxat pro suo territorio concessum, inceperunt porrigere ad territorium alienum. V. Verba *Megapoleos* non valent ad omnem Megapolin maritimam denotandam, sed pro eâ parte, quâ pacto Osnabrugensi cessa, & in Svedos collata erat. VI. Nisi enim proposito conventionis pragmaticæ convenienter intelligantur, multæ nec secum conciliandæ conclusiones inde sequentur. VII. Non quidem nescimus, privilegia aliquando in alieno territorio acquisita & usu probata esse; sed hic quæstio

ver-

vertit, utrū jure pacti Westphalici tale jus doceri potuerit & firmari. Quod negamus constanter, atq; hujus rationis similitudine utimur. Eodem cessionis capite Svedis tributū jus est condendæ Academia, ubi & quando, id est, quo in loco temporeq; velint. At nemo erit tam iniquus, ut putet Suedos hoc jus nactos, etiam alibi, quàm intra fines suæ ditionis, *vigore hujus* §. Academia non condere potuisse. Ne nunc addam, id quod jure illicitum, occasioneq; belli & turbatæ reipublicæ in perniciem commerciorum introductum fuit, jure esse abolendum.

22. De sessionis & suffragii dicendi ordine, usu rationumq; præsidio à nostris Ducibus firmato alii diffusè egerunt, ac ipse etiam principia causasq; prærogativæ illorum ex veris atq; luculentis rerum domesticarum commentariis hausi. Eò vid. *Johannes Limnaus addit. ad D. 5. c. 12. Jacobus Andreas Crusius de præemin. l. 4. c. 12.* Sedisse enim ante Duces Juliacenses, & locum hunc cum ratione antiquitatis, tum observatione prisce moris consuetudinisq; tenuisse, publicis documentis dudum comprobant. Tribunal Principale *Sternbergæ* est, ac privilegium de non provocando ad judicium Spirense habent, quoad summa litis non excedit CCC. florenos. Circulo Saxonie inferioris, quo comprehenduntur, magnum robur securitatisq; adjumentum præbent, & jus atq; leges imperii hoc quoq; turbido & misero temporum statu summâ fide atq; diligentia tuentur. Quod non dubito, quin Serenissimis Ducibus bene eveniturum sit, precorq; Deum, ut voto meo exitus congruat, & patria tandem à bellis respiret, pristinaq; felicitatem consequatur, & perpetuam servet.